

§. 2. Nihilominus tamen, circa totum hoc Salis negotium, in praefatis Croatiae et Sclavoniae Regnis melius ordinandum; altefata Majestas Caesarea et Regia, finita praesenti Diaeta, protinus Commissionem deputabit, quae cum mentionis Statibus et Ordinibus, collatis in hunc finem Consiliis, dispositiones instituet, determinabit et stabiliet.

De Officio Supremi Comitum Comitatum Zagrabiensis et Crisiensis; Praeterea de Officio Protonotariis; querulosis item Processibus; Revocationibus Procuratorum; et aliis, in Articulo infra scripto recensitis.

Articulus 123.

Siquidem Officia, quae Authoritatem Regiam ex Jure et Lege tangunt, per Majestatem Regiam conferri et provideri oportet; inter qualia, cum et Officium Supremi Comitum Comitatum Zagrabiensis et Crisiensis, esto quidem Vice-Banali Officio hactenus utcumque attributum, semper tamen, etiam in Officii Banalis Donationalibus, pro Collatione Regia expresse reservatum dignoscatur:

§. 1. Hinc Sacra Majestas Regia, dum Authoritate Sua in Collatione modofatorum Officiorum uti voluerit; benignam semper et praecipuam benemeritorum ex Statu sive Magnatum, sive Nobilium Praetendentium habitura est rationem.

§. 2. Pro hac tamen vice; ut modernus Vice-Banus, Officio etiam amorum praefatorum Comitatum Supremi Comitum, adinstar Praedecessorum suorum fungi possit; eadem Sua Majestas Sacratissima benigne admittit; salvo semper, in Casu reperiendorum per Status hoc in passu quorumpiam Privilegiorum, ulteriori ad Suam Majestatem demisso recursu pro iisdem permanente.

§. 3. Quantum porro ad Protonotariatus Officium; Sua Caesareo-Regia Majestas, alterius quidem Protonotarii, moderno adjungendi necessitatem non agnovit.

§. 4. An autem unus ita constanter manere debeat, ut nec mutato, vel mortuo, Bano variari possit; id a Revisione allegati per Status Privilegii, coram Majestate Regia producendi, dependebit.

§. 5. Vice-Comitum porro et subalterna Comitatus Officia, ut quolibet Triennio mutentur; et incompatibilia per unam eandemque Personam non gerantur; statutum est.

§. 6. Demum, quae circa querulosos Processus, Depositionem Causarum, Procuratorum Revocationem, Civitatum adversus Nobiles usurpatam Jurisdictionem, privatas Judicum Recognitiones limitandas et corrigendas, proposita fuerunt; ad universalem Legum in Articulo 24. declaratam Revisionem et Accommodationem relegantur.

De Revisione et Emendatione Legum et Processus Judiciarii.

Articulus 124.

Resolvit siquidem Sacra Majestas Caesarea ac Regia, pro parte modofatorum etiam Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Statuum et Ordinum; ut cum